


M E L I S S A



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Adest Melissa vernalis !

- ... Europa tandem habet suam sententiam symbolicam ☞ p. 2
- ... Ex orbe Latino nuntii afferuntur ☞ p. 3
- ... De Architectura Mahumetana iterum agitur ☞ p. 6
- ... Ecce septimi decimi saeculi epistulae adhuc ineditae ☞ p. 8
- ... Et narratio mediaevalis ☞ p. 10
- ... Misereat nos musculorum ☞ p. 12
- ... Bibliotheca Latina augetur ☞ p. 13
- ... Bellum Punicum secundum a discipulo narratur ☞ p. 14
- ... Instat aestas Latinissima ! ☞ p. 16

«IN VARIETATE CONCORDIA»

SIVE DE SENTENTIA SYMBOLICA EVROPAEA

Unio Europaea iam habet suum vexillum, cuius maximum emolumentum in eo est, quod praecipue constat e tot stellis quot participant civitates. Idem systema iam ante duo saecula elegerant Foederatae Civitates Americae Septentrionalis. Hymnus Europaeus etiam electus est, quamquam non officialiter, qui est Oda in laetitiam Ludovici van Beethoven.

Deest adhuc Unioni Europaeae sententia symbolica. Quare ineunte anno 1999, impulsu diarii Francogallici c.t. «Ouest France», discipuli scholarum totius Unionis, aetate a decimo usque ad undevicesimum annum, rogati sunt ut cogitarent de sententia, quae eis maxime apta videretur ad Europam cuniendam. Inter eos circiter octoginta milia proposuerunt duo milia sententiarum et sedecim, inter quas quindecim diurnarii ex omnibus Unionis civitatibus oriundi septem imprimis elegerunt. Hae sententiae etiam in Latinum sunt translatae, cui rei operam dederunt inter sodales nostros, in Italia Iohannes Carolus Rossi (vide Melissam 95) et Luxemburgi Wolfgangus Jenniges. Mense enim Aprili Luxemburgi inter interpretes apud Commissionem Europaeam laborantes septem, qui professi sunt se bene Latine scire, rogati sunt ut translationem Latinam illarum septem sententiarum una facerent. Sequuntur translationes electae:

- Pax, libertas, consensus. (Paix, liberté, solidarité)
- Varietate valentes. (Nos différences font notre force)
- Ad pacem democratiamque coniuncti. (Unis pour la paix et la démocratie)
- In libertate concordēs. (Uniti in libertà)
- Antiqua terra, nova spes. (Um velho continente, uma nova esperança)
- Omnes dissimiles, omnes Europaei. (Todos diferentes, todos Europeus)
- In varietate concordia. (Einheit der Vielfalt)

Hae septem sententiae post primam selectionem iterum perpendendae fuerunt quindecim personis, inter quas Iacobus Delors qui Commissioni Europaeae praefuit, Marius Soares qui Portugalliae praeses fuit, Philippus Gonzales qui in Hispania administratorum publicorum praesul fuit et Theodericus Frimout astronauta Belga. Res enim est spinosissima, cum oporteat sententiam eligendam non solum cardinales virtutes Unionis

Europaeae patefacere, sed etiam auribus incolarum omnium civitatum participum bene sonare. Quare illi quindecim iudices, die 4 m. Maii Cadomum (Caen in Francogallia) congregati, auxilium petiverant tum Emmae Wagner, moderatricis generalis officii translationis apud Commissionem Europaeam, cum rei statisticae peritorum et societatis Francogallicae «Sofres» sociologorum.

Nonnullae sententiae statim repudiatae sunt, cum aliquid in eis cuidam civitati specificè displiceret. Vocabulum «unio» e.g. valde displicere videtur Danis et Finnis.

Etiam e virtutibus cardinalibus a discipulis manifestatis, quae sunt unitas, differentiarum respectus, pax, aequalitas, libertas et solidaritas¹, ortae sunt difficultates. Solidaritas enim ex una parte valde placebat iudicibus ad sinistras partes pertinentibus, inter quos Iacobus Delors. Angli tamen hanc notionem respuebant, quam habebant nimis cohaerentem cum syndicalismo et socialismo.

Sic factum est, ut post disputationem typice Europaeam eligeretur sententia «In varietate concordia», quae neminem offendere visa est. Restat nunc ut approbetur a quindecim civitatum capitibus, quorum proximus coetus fiet diebus 19 et 20 m. Iunii in Portugallia.

Sunt qui censent sententiam electam nimis similem esse ei, quam a. 1782 adoptaverunt Foederatae Civitates Americae Septentrionalis, i.e. «E pluribus unum». Hac in re, meo quidem sensu, solum est species similitudinis. Nam e sententia Americana apparet voluntas complurium in unum tendendi, id quod re vera non sine conflictu factum est. E contrario in sententia Europaea non legimus «e varietate» sed «in varietate», id quod bene quadrat cum hodiernorum regentium studio in varietatem gentium non solum colendam sed augendam. Quod, ut repetere solemus, non esset malum, si lingua et cultus noster communis etiam colerentur tamquam aequipondium. Praeterea in sententia Francogallica invenitur vocabulum «unité», id quod insanum est cum unitas et diversitas sint res omnino dissociabiles. Quare veritati propinquiores sunt ei, qui loco «unité» Latine scripserunt «concordiam».

Gaius LICOPPE



¹ Fr. solidarité (Th. Solidarität, Angl. solidarity, It. solidarietà, Hisp. solidaridad) est vocabulum XVII saeculo ductum ab adiectivo «solidaire», quod XV saeculo derivatum est a locutione iuridica Latina «in solidum». «Solidaire» in initio etiam est vocabulum iuridicum, quo significatur hoc: «complures homines, qui aliquam rem communem habent, singuli de tota re responsales sunt». Postea, i.e. decursu XVIII saeculi, «solidaire» latiore significationem

accepit; eodem tempore fictum est vocabulum «solidarité». Quae cum ita sint, quomodo convenit «solidarité» Latine exprimere? Duae, meo sensu, sunt possibilitates, seu vocabulo antiquo «soliditati» sensum neotericum tribuere, seu neologismum «solidaritatem» accipere. Neologismus mihi videtur praefendus, cum notio sit omnino nova atque eadem vocabuli forma in omnibus fere linguis Europaeis exprimitur.

DE II CONVENTU LATINO EUROPAEO

SEVEROPOLI HABITO

REFERT THOMAS PEKKANEN

Urbs Sancti Severi sive Severopolis (San Severo) iacet in provincia Apuliae Fodiana (Foggia) eo fere loco, ubi calcar caligae, cuius formam Italia simulat, cum ipsa paeninsula coniungitur. Viva Latinitas in illa urbe aliquot fidelissimos fautores habet, quorum labores ad institutionem Latinam promovendam fructus ferre coeperunt. Anno 1990 ibi condita est *Sedes culturalis Luigi Einaudi*, cui praesidet profestrix Rosa Nicoletta Tomasone, poeta et scriptrix propter carmina et opera prosaica aliaque merita culturalia multis praemiis honorata. Ex statutis suis *Sedes Einaudi* vires culturales et sociales excitare et creare sibi proposuit, quibus traditiones historicae, oeconomicae, circumiectales linguisticaeque urbis Sancti Severi et Italiae meridionalis sustinerentur. Ut proposita sua ad effectum ducat et perficiat, conventus instituit atque opera et acta divulgat, quibus res tractatae latius propagentur. Hucusque divulgavit septem volumina, quibus actuositates societatis singulariter illustrantur.

Cum Latinitas viva in laboribus huius sedis excellat et emineat, ex gremio eius nata est *Academia Latina «Sodalitium Daunorum»*, quae Latinitati vivae felicissimam operam navat. Haec academia, ut repetam verba praesidentis Tomasone «non accipit nostalgicos sed est sodaliticium eorum,

qui hoc nostro tempore, - quo instrumenta communicationis socialis monopolium informationis exercent, - adhuc credunt tempora praeterita esse redinvenienda et in lucem proferenda, ut tam respectu linguistico quam historico fundamentum sint rerum praesentium.»

Sodaliticium Daunorum diebus 17-19.4.1998 Primum Conventum Latinum Europaeum instituit, qui futurus erat biennalis. Secundus conventus, ut praevium erat, biennio post, scilicet ad triduum 17-19.4.2000 convocatus est. Argumentum generale erat «Lingua Latina ad Europam reperiendam» (Il latino per scoprire l'Europa), quod



A sinistra: Nicolaus Sallmann, Thomas Pekkanen, Horatius Antonius Bologna, Vido Angelino, Cletus Pavanetto, Rosa Tomasone, Demetrius Koutroubas, Ioanna Maria Mirzewska, Carmelus Ciccia.

partim Italice partim Latine tractabatur. Aderant inter multos alios Latinitatis fautores professores Itali Vido Angelino, Horatius Antonius Bologna, Carmelus Ciccia, Dominicus Guerra, Aldo Luisi; ex Civitate Vaticana Cletus Pavanetto, praepositus officio latinistarum et praesidens Operis Fundati «Latinitas», ex terris septentrionalibus Birgerus Bergh Suetus, Sunniva Des Bouvrie Norvega, Tuomo Pekkanen Finnis; ex Germania Nicolaus Sallmann, ex Slovenia Kajetanus Gantar, ex Graecia Demetrius Koutroubas cum coniuge Anna et studente Titica Aslanidou, ex Austria Rainardus Weissengruber, ex Polonia Ioanna Maria Mirzejewska. Inaugurationem conventus praesentia sua honorabant dignitates urbanae, in quibus Michael Seccia, episcopus dioecesis Severopolitanae.

Longum est singulas acroases enumerare. Nihilominus ex praelectionibus Latinis in conventu habitis tres titulos nominare velim, scilicet. «Possuntne iura humana institutione Latina corroborari» (Des Bouvrie), «De ornamentis pretiosissimis Romanorum» (Sallmann), «De Cicerone, viro bilingui» (Gantar). Inter acroamata Latina commemoranda sunt recitationes «Puerorum Romanorum» moderante Rosa Tomasone, «Dialogus de pacifica hominum consortione» auctore Dominico Guerra et curante Dominico Vasciarelli, «Hymnus latinistarum» Vidonis Angelino.

Sessio specialis dedicata est Mariae Victoriae Lamedica-Venturo, profestrici Latinae et secretariae Academiae Latinae, quae anno ineunte diem supremum obierat. In memoriam eius constitutum est praemium, a nomine eius nominatum, quo adulescentes propter egregia in studiis Latinis merita donarentur. In hac sessione tributa sunt prima praemia et iuvenes ita honorati scripta sua praemiata recitaverunt. Ex his memoria teneo versus Latinos Carlae Giuliano, qui veram indolem poeticam praeferebant.

Patria mea cum societate Severopolitana relationes speciales iam quinque annos habet. Cum anno post obitum vatis Horatii bismillesimo fuisset in oppido Venusiae, amicitiam iunxi cum Maria Victoria Lamedica, ex quo secutum est, ut socius Daunorum sodalicii fierem. Anno 1997, cum IX Conventus internationalis Academiae Latinitati fovendae in Finnia celebraretur, praesidens Rosa Nicoletta Tomasone aliique Severopolitani iter in patriam nostram susceperunt et praesentia sua contribuerunt, ut ille conventus feliciter succederet.

Deinde consuetudines Latinae inter Finnam et Severopolim multis modis amplificatae sunt.

Auspiciis Sodalicii Daunorum et Legationis Finniae expositio «Finlandia Latina chartographica» Foundationis Fredriksonianae Jyväskyläensis, quae in conventu ALF 1997 urbis Jyväskylä et mense Novembri anno 1999 Romae inaugurata erat, etiam ad hunc II Conventum Europaeum Latinum missa est.

Ad relationes mutuas corroborandas etiam Radiophonia Finnica Generalis tabellis «Nuntii Latini in actis peregrinis» cooperari voluit, quibus illustratur, quomodo Nuntii Latini radiophonici in instrumentis communicationis peregrinis spatio decem annorum accepti sint. Praeparatae ad conventum summi fastigii Helsinkiensem mensis Decembris 1999 primum in eis ipsis aedibus Helsinkiensibus expositae erant, in quibus praesidentes, ministri primarii aliique moderatores Europaei tum sessionem habuerunt.

Tertiam partem expositionis in conventu inauguratae fecerunt tabulae picturarum et documentorum, quibus carmen Kalevala illuminatur. Cum secunda editio Kalevalana, quod epos Finnorum nationale appellatur et habetur, anno 1849 divulgata esset, anniversarium eius centesimum quinquagesimum anno proximo, scilicet undebismillesimo celebrabatur. In conventu Severopolitano tabulae Kalevalanae expositae sunt patrocinio Societatis Kalevalanae Helsinkiensis et Ministerii a rebus exteris Finnorum atque adiuvantibus et cooperantibus delegatione nostra diplomatica et Instituto Romano Finlandiae. Ad expositionem ita tripertitam inaugurandam ex urbe Roma una cum coniuge venerat legatus Finniae diplomaticus Dieter Vitzum.



Legatus Finniae diplomaticus Dieter Vitzum cum coniuge, inter eos Rosa Tomasone, praesidens Sedis culturalis «Einaudi».

Denique paucissima etiam de rebus materialibus addere velim, cum hucusque de rebus spiritalibus et litterariis narraverim. Nam urbs Sancti Severi non tantum animi cultura et Latinitate sed etiam suis vinis celebritatem vindicat. Iacet enim in regione vinaria, quam ob rem in epistula invitatoria huius conventus «urbs vini» iusto iure appellabatur. Latinitas et vinositas huius regionis felicissime coniunctae sunt in



optimis vinis, intitulatis «Stupor mundi», «Festina lente», «Habemus», quae inter expositionem commercialem in urbe Helsinki nuperrime, mense Martio huius anni factam, etiam in mercatum Finnicum introducta sunt.

Tertio conventus die post meridiem excursio in montem Garganum facta est. Cum mihi iam

eodem die in patriam revertendum esset, excursionsi interesse non potui. Miram amoenitatem regionis Garganae, cuius querceta (Hor. carm. 2,9,6-7) et cacumina (Sil. It. 9,33) a poetis antiquis celebrantur, iam inter priorem conventum Severopolitanum cognoveram. 20

**CONVENTVS DE LITTERIS NEOLATINIS
IN AMERICA MERIDIONALI, PORTVGALLIA, HISPANIA, ITALIA
CVLTIS INTER XV ET XIX SAECVLVM**

**fiet in urbe Lipsia
8-11 m. Martii a. 2001**

ad quem participandum invitant:

Prof. Dr Dietrich Briesemeister, Universität Jena, Institut für Romanistik, Ernst-Abbe-Platz 8, D-07740 Jena

Priv.-Doz. Dr Axel Schönberger, Universität Bremen, Fachbereich 10, Sprach- und Literaturwissenschaft, Postfach 33 04 40, D-28334 Bremen; epistulae mittantur ad hanc inscriptionem cursualem: Postfach 35 09 45, D-10218 Berlin; tel. +49 (0)30 45 60 62 21, telecop. +49 (0)30 45 60 62 22.

Acroases fient Latine, linguis Romanicis et Theodisce. Si quis plura cupit scire, scribat ad alterutrum moderatorum.



«GREX LATINE LOQVENTIVM» reviviscit atque novum situm interretialem sibi nuper acquisivit, impellente Humberto La Torraca sodale Neapolitano. Inspiciatis hunc pulchrum situm (<http://digilander.iol.it/Marziale/Grex/index.html>), in quo multa et bona invenietis: textum a Victorio Ciarocchi conscriptum de Grege deque linguae Latinae praestantia; fines et regulas Gregis; explicationes de subnotatione facienda; inscriptiones utiles; textus recentiores.

IVVENIS RVSSVS Sergius Kalegin nomine haec ad nos scribit: «Velim multos amicos in mundo habere, potesne adjuvare me? Velintne alii lectores amicos habere? Possum non solum Latine scribere, sed etiam Gallice, Italice, Theodisce, Esperantice, Hispanice, etc.» Speramus fore ut inter vos nonnulli sint, qui huic affabili postulationi respondere velint commerciumque epistulare cum eo instituere. Haec est eius inscriptio cursualis:

RUSSIA 385060
р. Адыгея
г. Майкоп
ст. Ханская
ул. Горького 28
КАЛЕГИН С.Н.

Id est: S. Kalegin
r. Adygeia
u. Maikop
rus Chanskaia
str. Gorkogo 28
Russia 385060



DE MAHVMETANAE ARCHITECTVRAE

ORIGINIBVS (II)


SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

Arculfus, in Gallia episcopus, cum anno 670 sanctam peregrinationem Hierosolymis faceret, notavit Arabes in area templi Herodiani aedificium rude, trabibus in ruinis positis, instituisse, ubi suum novum cultum Mahumetanum celebrarent. Si viginti circiter annis post illuc revertisset, in eodem loco Tholum Saxi vidisset, qui ei certe non irrisum sed admirationem excitavisset.

Califa Abd el-Malik, cum in summa discordia cum Meccanis esset, voluit centrum novi orbis Islamici Mecca Hierosolyma transferre atque loco Kaabae summum montem Moriam ut huius orbis umbilicum imponere. Sic etiam volebat cognationem harum trium religionum e Pentateucho ortarum Hierosolymis magis manifestam facere. His de causis Tholum Saxi exstruendum curavit, qui non est meschita. Nam aedificatus est in formam martyrii Byzantini ad sacrificium Abrahae commemorandum. Certam similitudinem habet cum primo aedificio (a. 335) Sancti Sepulcri, a quo non longe abest. Utriusque aedificii ichnographia est centrata; utrumque ornatur tholo eiusdem diametri (20,4 m.); utroque tegitur saxum sacrum cavatumque; in utroque ostenditur pedis vestigium, seu Iesu resuscitati, seu Mahumeti in caelum ascendentis. Huius modi similitudines non sunt fortuitae, sed potius dilucide ostendunt califam Abd el-Malik in animo habuisse successionem religionis Christianae sibi assumere in ipsis locis ab Abraham sanctificatis.

Tholus Saxi habet ichnographiam geometricae et symmetricae mirum in modum delineatam.

Si eam attente inspicimus, videmus aedificium octogonum inscriptum esse in circulo, cuius diametrus est 54 metrorum. Quo in circulo inscripta sunt duo quadra ita disposita, ut eorum anguli inter se 45 gradibus distent. Per intersectiones laterum horum quadrorum ducuntur quattuor lineae rectae, quarum intersectiones inscriptae sunt in circulo minore (22,26 m. diametri) quo circumdatur fastigium montis Moriae. In his delineamentorum intersectionibus quasi necessario dispositae sunt



pilae et columnae arcibus leviter fractis inter se coniunctae. Huius modi structurae geometricae in orbe antiquo et Byzantino inveniri solent, ut e.g. Ravennae in fano Sancti Vitalis, Hierosolymis in ecclesia Ascensionis atque in Syria septentrionali in martyrio Sancti Simeonis Stylitae. Primum ergo praestans aedificium Mahumetanum re vera aedificatum est secundum traditam doctrinam Romano-Byzantinam atque Islamismo tradidit suam gnosticam cogitationem de transitu a quadro ad circulum, i.e. a terra ad caelum.

Pars interior aedificii, e duabus porticibus concentricis constans, bene convenit ritui circumambulationis, qui hic circa montis Moriae fastigium eodem modo fit ac Meccae circa Kaabam.

Non solum aedificii structura pertinet ad traditionem Romano-Byzantinam, sed etiam eius ornatio tum externa cum interna. Murorum ornatio externa mutata est tempore ditionis Ottomannorum; nam iussu eorum principum muris inductae sunt fictiles laminae caeruleae nitentesque. Sed in parte inferiore manet originalis ornatio marmorea, cuius figurae geometricae pertinent ad traditionem Romano-Byzantinam.


Intus omnia digna sunt Byzantina magnificentia: diversicolores laminae marmoreae parietibus sumptuose inductae; monolithae columnae ex marmore multicolori factae, quae detractae sunt de antiquioribus aedificiis; aurata capitella Corinthiaca atque aurea opera musiva, ubi praeter pampinos ramosque florales



compositiones e cantharis se pandunt tamquam immortalitatis signa.


His omnibus demonstratur summam artem Romano-Byzantinam hic adhibitam esse ad crescentem Omeyyadum potentiam glorificandam.

Sed nondum quicquam diximus de ipso tholo, a quo totum aedificium suum nomen ducit. Tholus re vera est duplex, cum constet e duabus independentibus materiationibus, quarum altera est continens et bulbosa, altera contenta et necessario hemisphaerica, cum caelum significet.



Huiusmodi tholus ligneus etiam est typice Syro-Byzantinus. Eiusdem generis tholi iam ante ortum Islamismi exstructi erant supra martyrium Sancti Simeonis Stylitae et ecclesiam cathedralem Bostrensem, sed de eorum forma nihil scimus, cum iam diu disparuerint. Quare aliquid dicendum est de forma bulbosa materiationis externae Tholi Saxi.

Origo illius formae itemque arcus fracti, de quo aliquid antea iam diximus, exquirenda est in sera architectura Syro-Byzantina. Huius temporis architecti «rationem auream», littera Φ designatam, in sua opera inducere voluerunt. Graeci a Platone usque ad Heronem Alexandrinum multum




Hic ostenduntur arcus hemicycli, triangulus isosceles, arcus hemicycli excelsus, arcus fractus et arcus praerectus.

cogitaverunt de notione, quae Graece dicitur ἀναλογία atque significat seriem membrorum ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον (Plato, Timaeus, 31c et 32c) (secundum eandem rationem) crescentem, ita ut decrescendo omnia membra ab uno deduci possint. Huiusmodi series ad minimum constat ex tribus membris. In Euclidis «Elementis» legitur hoc: ἀναλογία δὲ ἡ τῶν λόγων ταυτότης («analogia» est rationum identitas). Euclidi necnon Platoni ἀναλογία κάλλιστα («analogia» pulcherrima) videtur esse medietas geometrica, quae definitur ratione $\Phi = 1,618...$

Ne plura hic dicamus de his ratiocinationibus mathematicis philosophicisque, sed potius videamus quomodo spectent ad rem nostram.

Triangulus isosceles, cui est basis 8 modorum et altitudo 5 modorum, rationem habet $8/5$ cum numero Φ bene congruentem. Talis tamen triangulus omnino non congruit cum tradito solitoque arcu hemicyclio. A IV saeculo architecti Byzantini conati sunt rationem Φ appropinquare, imprimis arcum hemicyclium paululum levando. Sed, cum aspectus arcus hemicyclii excelsi re vera parum placeret, elegantius pervenerunt ad rationem Φ arcum fractum adhibendo. Hic vero non est arcuum mutationum terminus. Byzantini enim etiam invenerunt arcum praerectum, cuius optimum exemplum praebet arcus gloriae in ecclesia Syriaci oppidi Dana instructus; hic arcus est aditus ad apsidem quae etiam est praerecta, i.e. eiusdem formae bulbosae ac externa materiatio Tholi Saxi.



Nonnullis detectis arcanis, ultimum spectemus ad hunc mirabilem tholum ante undecim saecula exstructum, cuius aenea superficies tota inducta auri bracteis adhuc mirum in modum splendet.

(continuabitur)

ISAACI VAN DER MIJE (1602-1656),

POETAE ET PICTORIS E S.I., EPISTVLAE DVAE

PRIMUM EDITAE A THEODORICO SACRÉ

1. a) Isaacus van der Mije Mutio Vitelleschio¹ (13-V-1628)²

Admodum r[everend]e Pater,

Pax Ch[rist]i. Amor et ardens desiderium, quibus indies magis magisque inflammor, metu posito me ad litteras hasce impulere. Et quid satius potui, r[everende] P[ater], quam pium affectum vehementius incitantem lubenter subsequi? Scripsi aliquando et aliis Patribus³, sed spe hucusque frustratus tandem supplex ad r[everentiam] v[estram] confugio. Nec iam uti olim Peraquariensem provinciam⁴, sed quascumque vel Indiae vel Aethiopiae partes vehementer efflagito. Nec parum considerate scio me rem hanc aggredi; immo plurima sunt quae petitioni meae quantum maxime opitulantur, inter quae summum illud desiderium, quo quam ardentissime flagro, hoc caritatis igne vitae prioris crimina me debere et comburere posse. Illius gratia philosophico studio adhuc intentus⁵ saepe privato labore meteororum rationem⁶ et circumvolutionem caelestium diligentius perdidici et nunc eodem fine Graecis incumbo, si ad Aethiopes, mea prece audita, via pateret. Verum et quod mihi spem longe maximam efficit est ars pictoria; quae ut qualis sit r[everentia] v[estra] norit, imaginem hanc⁷ humiliter offero; quae res mirum quantum etiam viris principibus arrisit. Sed quid hic nisi vane pasco curiosorum oculum? Ibi sane et ad fidem et pietatem animos pertrahere possem, cum barbarorum mentes nulla re magis ac huiusmodi rapiantur novitate, quae et adeo recens, ut antehac nulli visa. Eo igitur mea o[mn]ia dirigo; nec mihi futura requies, nisi voti compoti effecto. Et utinam mei r[everentia] v[estra] misereretur! Pluribus r[everentiam] v[estram] exorarem nisi recte scirem quantis occupationibus distenderem. Igitur id paucis sed vehementissime rogo. Simul Deum deprecor ut r[everentiam] v[estram] quam diutissime Societati salvam et incolumem servare dignetur. Antverpia 2 Id[us] Maii 1628.

Admodum r[everend]ae paternitatis servus humillimus et filius in Ch[rist]o

Isaacus Vander Mije⁸

b) Ad has rescriptit Generalis 17-6-1628⁹ :

Antverpnam Isaaco vander Mye. Fuit mihi gratissimum specimen industriae quod litteris tuis pridie Idus Maii datis adiunxeras. Quam etsi videam utilem esse posse apud Indos aut Aethiopas, quibus excolendis operam tuam tam studiose offers, tamen ita difficilis hoc tempore aditus ad illas regiones est, ut aliud polliceri nunc nequeam, nisi me libenter memorem desiderii tui futurum, eiusque habiturum me rationem, si aliquando maiorem Indicae profectionis facultatem Dominus dederit. Interim tu te solidarum virtutum praesidiis necessariaeque eruditionis ornamentis ad difficilem illam laboriosissimamque expeditionem instrue, ne, si quando occasio oblata fuerit, minus ad illam comparatus [[instructus *ante corr.*]] inveniaris. Adiuvet studia conatusque D[omi]n[u]s Iesus et in animo tuo amoris sui ignem vehementer accendat. Vale memor mei in s[acris] tuis orationibus. Romae 17 Iunii [1628]

2. Isaacus van der Mije Mutio Vitelleschio (11-VI-1630)¹⁰

Admodum reverende in Ch[rist]o Pater,

Pax eiusdem. Aliquanto ardentius iam pridem exspecto an forte certiori spe recreatus, illam aliquando amplectar diem, qua gravius quidpiam pro Christo perferendi nuntium accepturus sum. Sed iam quintus decurrit annus ex quo perpetuo efflagitando vel Aethiopiam vel quamvis aliam terrae plagam, ubi lingua Graeca¹¹ aut arte pictoria non usque adeo inutilis possem esse, spe incerta tantum alor. Fateor lubens; peccata mea me tanto reddunt beneficio longe indignissimum; et satius fortasse foret ut domi revolvendo scelerum meorum seriem defleam perpetuo vitam anteactam, quam peregrinas gentes petendo denuntiem verbum Dei, ne forte id feteat in ore peccatoris; tamen ardens istud desiderium quo ferventius aliquanto laboro me de die in diem magis magisque extimulat impellitque. Cur [= quare], admodum



r[everende] Pater, (ne prolixitate suae [[sic!]] r[everend]ae Paternitati sim oneri) imaginem hanc ego submitte offerendo, intimum animi sensum tanto offero desiderio, ut maiori offerre non possim, rogoque iterum atque iterum, secundo¹², quo largius sua [[sic!]] adm[odum] r[everenda] P[aternitas] voto huic faveat. Quod reliquum est, Deum opt[imum] max[imum] ex animo oro ut R[everenti]ae v[est]rae, Societati nostrae diuturnam dignetur largiri incolumitatem. Casleto, 3. Idus Iunii. 1630

Suae [[sic!]] admodum reverendae Paternitatis filius ac servus humillimus

Isaacus Vander Mije¹³

*
* *

Non numquam factum est ut in hisce *Melissae* pagellis scriptores ab oblivione me vindicare dicerem, qui oblivione illa non prorsus essent obruti, et ipsorum quasi parerga quaedam in lucem ederem. Hic vero poeta et pictor, Isaacum dico van der Mije, tantum abest ut omnium sit etiam nunc in ore, ut et opuscula ipsius, quae quidem typis excusa esse scimus, ab huiusce aevi viris doctis frustra requirantur. Qui cum ab Isaaco illo «*idyllium*» de poeta quodam mortuo (Lugduni anno 1650), «*Musam paraeneticam*» (Roterodami 1648), et si quid eiusmodi, contendant publici esse factum iuris, libellos tamen ipsos numquam viderunt, immo ubi versus asserventur nuntiari nequeunt.¹⁴ Nonne ergo nomen tantummodo poetae et pictoris manet? Non ita, nam nos abhinc paucos menses forte fortuna incidimus in eius sacerdotis carmina non solum Latina, sed etiam Nederlandica; de quibus alias paulo fusius erit agendum. Qua in re elogium, quod post tanti viri mortem est conscriptum, habet verba haec: «Hic, ut erat amans Musarum, politioem litteraturam exercuit, et *Paraeneticas Elegias* ad Belgicam iuventutem edidit, dignus qui inter poetas numeretur».¹⁵ Tabulam vero ab illo pictam vidimus ad hunc diem nullam, etsi cum aliis e fontibus, tum e litteris, quas heic primum edidimus, non ignobilem eum fuisse pingendi artificem satis constat. Ceterum familiariter utebatur Daniele illo Seghers (Antverpiae, 1590 - 1661) et S.J., summo florum pictore¹⁶; aliis missis rebus mortem coloribus seu vividis seu atris non semel adumbravisse videtur.¹⁷

Quod picturam tantopere adamaverit vir inter viros non est cur miremur, quippe qui a teneris unguiculis artis eius valde studiosus fuerit; in qua ille puer, vix decem annos natus, domi (id est Delphis Batavorum, ubi anno 1602 exeunte in vi-

tam venerat) sese coepit exercere, dein et alibi per octo annos est excultus. Postea (anno, nisi fallor, 1620) Herentalium sese contulit in urbem Brabantiae ad studia humaniora intra triennium perficienda; domum autem redux, picturae denuo sese dedebat studiisque aliis.¹⁸ Vitam religiosam amplexus, anno 1623 Societati Iesu nomen dedit idemque fidem apud gentes ethnicae et transmarinas propagare se posse sperabat; qua de causa praeposito S.I. generali libellos supplices saepius tradidit; repulsam vero tulit.¹⁹ Itaque, qui una spe illa sustentabatur, ut longinquas obiret missiones, ei haec contigit Sparta, ut in patriam reverteretur suisque adesset civibus, quotquot in fide prisca et catholica permanserant. Christianae religionis opus illud per tria decennia et quod excurrit executus²⁰, supremum obiit diem Delphis anno 1656²¹. Subsicivis autem horis Musae et Latinae et Belgicae indulserat; quaeque carmina contexuerat, inde ab anno 1648 divulgaverat. ☛

ADNOTATIONES

- 1 praeposito generali Societatis Iesu annis 1615-1645.
- 2 Servatur Romae in Archivo Romano Societatis Iesu [= ARSI], «Fondo Gesuitico» [= F.G.] 752, num. 79.
- 3 litteras ni fallor non asservatas.
- 4 quam ut adire posset inde ab anno 1625 petivisse videtur ille: cfr. epist. 2.
- 5 Illo anno Isaacus Antverpiae degebat in Collegio S.I. ad studia humaniora repetenda (cfr. ARSI, Fl.-B, 44).
- 6 Hoc vocabulum supra lineam est additum.
- 7 ipsi epistulae pro dolor non subiunctam.
- 8 Adnotavit alia manus: «1628 flandrob[elgica] 1628 [[sic!]]/ Isaac vander mye Antverp[iae]/ offert se pro Aethiopia Indiisque/ mittit imaginem artis suae specimen/ tenent concordata in Hollandia».
- 9 Cfr. ARSI, Fl.-B, 4, II, f. 1020r.
- 10 Cfr. ARSI, F.G. 752, num. 86.
- 11 Isaacus Graece docuit in gymnasio S.I. Casletano (anno scholastico 1629-1630) et Bruxellensi (anno 1631-1632): cfr. ARSI, Fl.-B., 44.
- 12 secundò codex: est ergo adverbium.
- 13 Adnotavit alia manus: «flandrob[elgica] 1630/ Isaacus vander Mye Casleti Jun[io] / offert sese pro Indiis/ Aethiopia/ mittit imaginem experimentum artis suae».
- 14 Cfr. i.a. P. Begheyn, 'Uitgaven van jezùieten in

de Noordelijke Nederlanden 1601-1650', *De Zeventiende Eeuw*, 13 (1997), 293-308 (p. 304 num. 116 et 126); id., 'Uitgaven van jezuieten in de Noordelijke Nederlanden 1651-1700', *ibid.*, 14 (1998), 135-158 (p. 143 num. 134 et 135).

¹⁵ Elogium ineditum servatur Bruxellis in Bibliotheca Regia [= BR], cod. ms. 6485, ff. 239r-240v (f. 239v).

¹⁶ Cfr. M.-L. Hairs, *Les peintres flamands de fleurs au XVII^e siècle*, *Les peintres flamands du XVII^e siècle* (Bruxellis, 1965²), pp. 79-150 (memoratur Van der Mije p. 88).

¹⁷ BR, cod. ms. 6485, f. 239r («Christianae mortis imaginem, quam toties penicillo vividus affabre expresserat...»), f. 239v («donario mortualis cranii a se depicti vanitatem a domicellis averrunca[v]it...»), etc. In missione autem Hollandica cum degeret, totam toparcharum quandam domum variis et praeclaris picturis illustravit, si elogio credendum (f. 239v).

¹⁸ Cfr. album novitiorum (annorum 1619-1634) quod ineditum servatur Haverlae iuxta Lovanium in archivo Societatis Iesu provinciae Flandro-Belgicae, p. 221.

¹⁹ Docuit alumnos Isaacus Bredae, Casleti, Bruxellis (1628-1632); an. 1632-1636 Lovanii theologiae se dedit (habuit ibi inter admiratores Erycium illum Puteanum, professorem

academicum eundemque virum Latinissimum); anno 1637 (quo anno missioni navali in urbe Dunkerca paulisper interfuit) ordinatione sacerdotali est auctus (quam cecinit Aloysius Lauwenbachius poeta); quattuor vota professus est Alcmariae anno 1640.

²⁰ Alcmariae (et Lugduni Batavorum) (1639-1642), Hornae (1642-1643), Bodegraviae (1643), Rhonae (1645-1650), Delphis (1650-1656): cfr. i.a. J. Kleijntjes, 'De jezuieten in de Hollandse Missie', *Haarlemse Bijdragen*, 63 (1955), 255-299 (p. 282). Anno autem 1644-1645 Alosti commoratus est (nisi fallunt me mea adversaria).

²¹ Cfr. epistula mortuaria a P. Thoma Dekens ad P. Franciscum De Cleyn Casleto Mechliniam data, quae servatur inedita in BR, cod. ms. 6485, f. 285r: «Reverende in Chr[ist]o Pater, P[ax] C[hristi]. Obiit Delphis in missione Hollandica 7. huius P. Isaacus vander Mije extremis sacramentis rite praemunitus. Expecto inde viri elogium. Interim r[e]verentia v[est]ra indicat pro eius anima tria sacerdotibus sacra et totidem non sacerdotibus rosaria, et me habeat in suis s[ancti]s sacrificiis commendatum. Casleti 18 Iunii 1656. R[e]verentiae v[est]rae servus in Chr[ist]o Thomas Dekens.»

DE CORPORIS MUTATIONE

RETTVLIT STELLA GITTA

«Homo sum: humani nihil a me alienum puto»
TER. Haut. 1, 1, 25

Media Aetate saepe apud doctos quaestio movetur, si Nabuchodonosor per iniunctum tempus poenitentiae in bovem verum sit divina virtute mutatus, cum facilius sit creaturam transmutando formare, quam de nihilo creare. Scribunt plerique, ipsum vitam bestialem, in convictu bovis comedentis fenum, sumsisse, non naturam.

Homo nempe a paradiso eiectus est. Nec erit omittendum, quod scripsit anonymus scriptor saeculo XII referens de serpente, qui Evam seduxit. Elegit enim diabolus quoddam genus serpentis

femineum vultum habentis, quia similia similibus applaudunt, et movit ad loquendum linguam eius. De serpentibus tradunt *vulgares*, quod sunt quaedam feminae, quae mutantur in serpentes, quae ita dignoscuntur: habent enim ligaturam albam, quasi vittam in capite.

Scio equidem iam pridem relatum notissima narratione, quod in Aquensi provincia paucis ab Aquis milliariibus est castrum Russetum, quod vallem Trezensem sub se missam respicit. Huius castri Dominus, Raimundus nomine, cum uno aliquo die solus in equo vectaretur iuxta decursum interluentis Laris fluvii, ex improvise occurrit dominae nulli decore secundae, in palafredo

phalerato, vestibus et apparatu pretiosis, cumque salutata a milite ipsum ex nomine resalutasset, ille ab ignota se nominatum audiens, miratur, et nihilominus illam, ut moris est, coepit verbis lascivis interpellare, ut ei consentiat. Cui illa interponit, hoc praeter coniugalem copulam nulli licere, verum si in eius nuptias consentiat, ipsius possit optatis frui complexibus.

Quid ultra? Acquiescit conditionibus miles in nuptiis; at illa replicat, illum summa temporalium felicitate ex eius commansione fruiturum, dum ipsam nudam non viderit; verum ut ipsam nudam conspexerit, omni felicitate spoliandum asserit et vix ei vitam miseram misericordia servandam esse praeponit. Pendet, dubiusne timeret, optaretne mori? tandem in nuptias consentit et conditionem admittit. Inflammatus et aestuans omnem conditionem facilem arbitratur, qua cupitum thorum possit obtinere.

Consentiunt in matrimonium et contrahunt, et crescente militis felicitate in brevi, favore et hominum gratia, temporalium copia et corporis strenuitate in tantum excrevit, quod pares excessit, et paucis proceribus et illustribus secundus invenitur. Hominibus amabilis, apud omnes gratosus liberalitatem discreta largitate atque urbanitate condiebat, filiis et filiabus summae pulchritudinis procreatis. Cum post longa tempora uno die domina, ut assolent, in thalamo balnearet, Raimundus miles, a venatu rediens et aucupatu perdicibus aliisque carnibus ferinis dominam delectavit et dum parantur cibaria, nescio quo motu vel spiritu militi venit in mentem, quod nudam videat dominam balneantem, constituens in animo, siquidem quod ex inhibita nuditatis conspectione potuit ex fatis esse periculum. Temporis diuturnitate tamque diuturnae commansionis longinquitate evanuisse maritus exposuit uxori; quae diuturnam felicitatem ex conditione servata obiicit, et infelicitatem minatur secururam. Tandem praiceps in praecipitium miles non temperatur interminatione poenae, neque precibus flectitur, ut a stulto proposito desistens suae consulat utilitati. Tangunt animum motusque metusque, et timet eventus, indignaturque timere. Quid moror? erepto linteo, quo balneum operitur, miles, ut uxorem nudam videat, accedit statimque domina in serpentem conversa, misso sub aqua balnei capite, disparuit, nunquam visa imposterum nec audita, nisi quandoque de nocte, cum ad



infantulos suos visitandos veniebat, nutricibus audientibus, sed ab eius aspectu semper arctatis.

Sane, quod in serpentes mutari dicunt feminas, mirandum quidem est, sed non detestandum. Vidimus enim frequenter in Anglia, per lunationes homines in lupos mutari, quod hominum genus *gerulfos* Galli nominant, Angli vero *Werewolf*, dicunt, *Were* enim Anglice virum sonat, *wlf* lupum.

Scimus enim, Gervasius ait, in Alvernia, episcopatu Claramontensi Pontium de Capitolio nobilem virum pridem exhaereditasse¹ Raimbaudum de Pineto militem et in armis exercitatum.

Hic vagus factus et profugus super terram, dum solus more ferino devia lustraret et saltus, una nocte nimio timore turbatus, cum mentis alienatione, in lupum versus tantam patriae cladem intulit, quod multorum colonorum mansiones fecit esse desertas. Infantes in forma lupina devorabat: sed et grandaevos ferinis morsibus lacerabat. Tandem a fabro quodam lignario graviter attentatus ictu securis alterum pedem perdidit, sicque specie resumta hominem induit. Tunc in propatulo confessus, sibi placitam pedis iacturam eo, quod illo amputato, miseriam illam et malitiam cum damnatione perdidit. Asserunt enim, qui talia duxerunt in usum, membrorum truncatione ab huiusmodi infortunio homines tales liberari. Sed et apud castrum Luch in confinio Vivariensis episcopatus, Myndensis² est accola Calcevayra nuncupatus, qui consimilis fati, per mutationes neomeniae, sorte fatigatur, asserens se, cum tempus advenerit, vestes suas, relictis omnibus, sub dio vel rupe secreta seponere: et cum in arena diu nudus se volutaverit, lupi formam et ingluviem induit, ore patulo et apertis rictibus inhiat in praedam, asserens, lupos idcirco aperto ore currere, quia os cum magno labore pedumque adiutorio aperiunt, quod aperire nequeunt, cum ab insecutoribus praeveniuntur. Tunc ergo a captura frustrantur et facile capiuntur.

Quis ergo ex publicato facti huius testimonio hominem homini lupum esse dubitabit?

ADNOTATIONES

- 1 id est extorrem fecisse atque bonis suis haereditariis exuisse.
- 2 Mantalensis prope Mantalam Territorii Vienneensis, non procul a Vivariensi.

DE MVRIBVS EORVMQVE TRISTI VITA

SIMPLICISSIME SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Si ei, qui metempsychosin profitentur, recte dicunt, aliquando reviviscemus sub forma cuiusdam animalis. Utinam liceat eligere. Nam melius est cattum domesticum fieri, quam parvum murem. Homines, qui verbis ineptis saepe utuntur, cum de suis incommodis loquuntur canem proferre solent: tristis vita est vita canina, pluviosa tempestas est tempestas canina, prandium sine vino est prandium caninum¹. Quin potius loquuntur de vita murina! Haec enim est multo magis miseranda atque sensu translato melius convenit ad humanas miseras significandas.

Misellum musculum! Nihil nisi infortunia experitur. In rerum natura mures vitam agunt brevem et formidinis plenam: timent frigora, timent angues, timent cattsos, timent ululas. Alii mures vivunt in dulci calore laboratorii; ibi, quamquam praedatores non sunt, ultima patiuntur.

Cur scientifici elegerunt mures ad experimenta faciendaa? Non solum quia facilius est murem in laboratorium introducere quam elephantum, non solum quia celerius multiplicantur, sed etiam quia eorum gena valde similia sunt genis nostris; hac de causa mures habentur optimi ad humanam vitam describendam et morbos inspiciendos. Hoc eis ipsis non prodest.

Iam saeculo praeterito Augustus Weismann (1834-1914), cum studeret hereditati, miram experientiam fecit. Muribus caudam exsecuit et exspectavit, num eorum pulli minorem caudam postea habituri essent necne. Postquam sic tractavit mures et eorum filios et nepotes et pronepotes et abnepotes et ceteros usque ad vicesimam secundam stirpem, conclusionem proposuit hanc: sectio caudae nullo modo mutat longitudinem caudae posterorum. Haec theoria vocatur «continuitas plasmatis germinativi». Tamen non necesse erat miseros mures sic cruciare: nam si iste biologus inspexisset filios militum in bello vulneratorum, vidisset eos plerumque esse integros atque idem colligere potuisset.

Anno 1928 Fridericus Griffith multos mures etiam misit ad paradisum murinum propter pneumococcum, id est bacterium quo pneumonia oritur. Sunt huius bacterii duo genera: dulce et durum. Mures, quibus inserebatur pneumococcus

durus, bene se habebant, et mures, quibus inserebatur pneumococcus dulcis, moriebantur. Ergo solum dulce bacterium est causa morbi. Idem Griffith experimenta continuavit cum bacteriis calefactis et non calefactis, atque multa invenit de vi et mutationibus bacteriorum. Mures autem... sed dulce et decorum est pro scientia mori.

Ex eo tempore mures solent participare omnia studia, quae pertinent ad morbos nostros geneticos. Scientifici conati sunt eos clonizare, antequam clonatio ovis Dolly successit. Eis etiam inseverunt gena extranea et sic confecerunt mures transgenicos. Atque nondum est finitum. Qualis vita murina! Haec omnia pro nostra valetudine! Aliquando erit monumentum erigendum in eorum honorem. *za*



Tempore Aegyptiorum antiquorum, ut patet ex hac papyro, mures cattis imperabant. O tempora, o mores! Omnia mutantur!

¹ A.Gellius, Noctes Atticae, XIII, 31, 16: «Prandium autem abstemium in quo nihil vini potatur caninum dicitur quoniam canis vino caret.»

DE JIPPO ET JANNICA:

DE NOVO LIBELLO LATINE CONSCRIPTO

REFERT CHRISTIANVS LAES


« Jip » et « Janneke » qui sint, ubi habitent, quos casus subierint, nemo sane erit e lectoribus Nederlandis qui ignoret. Aliis autem rem breviter complectar. Hi duo parvuli - puerum dico et puellam fortasse sex annorum - primas partes agunt in 235 fabellis (in quinque libris collectis) quibus scriptrix Nederlanda Annie M.G. Schmidt (1911-1995) magnum sibi successum acquisivit. Fabulas praesertim conscripsit et iis qui, aetate adhuc iuniores, primas sententias fabellasque legere valerent, et parentibus vel avis, qui iucundas narrationes haberent pueris coram eis sedentibus.

Mediante mense Martio (a die 15 usque ad diem 22) «septimana librorum» quae dicitur, in Nederlandia habita est, cuius thema speciale erat antiquitas Graeca et Latina. Qua occasione data, Harm-Jan van Dam nonnullas fabulas elegit vesteque Latina reddidit, quibus titulum «Jippi et Jannicae», nominibus paululum mutatis, excogitavit, quasque edendas curavit domus editoria Querido¹.

Longe abest ut hic libellus ignotus atque ab hominibus Latinissimis tantum fatus remaneat. Acta diurna de hac editione rettulerunt, quin et statio televisifica Flandra VRT die 27 mensis Februarii rem tetigit (in programme c.n. «De Zevende Dag», id est «Dies Septima» ubi philologus Patrick De Rynck versionem commentatus est). Quibus in nuntiis semper bene relatam est linguam Latinam non esse linguam mortuam, immo etiam aptam ad tales narrationes pueriles vivacesque exprimendas.

Ut promulsidem quandam, primas sententias afferam capituli primi. Ipsi iudicetis de Latinitate simplici necnon iucunda.

«Jippus in horto ambulabat. Omnium taedebat. Ecce autem! Foramen in saepe factum conspexit, non ita magnum. Mirabatur Jippus quid rerum trans saepem appareret. Regia domus? Murus? An heros? Humi subsidens per foramen spectavit. Nasum pusillum, osculum, ocellos duos caesios. Ecce puellam, non maiorem Jippo. Quid tibi nomen? rogavit Jippus. Jannica sum, puella dixit. Hic habito.»



Quid porro? Lepide atque iocose Latinam linguam interdum adhibuit auctor, velut in exemplis his:

«Age, marite, buccam manducemus, dicit Jannica. Talibus verbis parce, dicit Jippus. Non sunt regina digna. Reginae dicunt: Epulas, si tuo commodo fieri possit, iam adeas, domine Caesar.» (p.23-24)

«Et cuculum clarissime cuculantem, cucuculantem atque etiam cuculantem audiunt» (p.25)

«Matres tamen ardent ira vera et mera» (p.28)

«Iacet gallus, parvus sine capite truncus» (p.39)

«Tutine ille Jippus?» (p.15).

Idem etiam apparet in nomine parvuli canis, Surculum dico, iucunda translatio verbi Nederlandici «Takie» quod «parvum ramum» significat.


Nonnulla autem sunt quae vituperem, imprimis menda typographica e quibus apparet editorem ipsum Latine non bene scire. Ecce exempla: denim (= enim; p.13), catallus (= catellus; p.13), acubaculeatum (= aculeatum; p.19), nihil compert

(= comperi; p.30), tempus pomeridianum (= postmeridianum; p.36), panniculo (p.47).

Quibus addas menda vel parum convenientia haec: «quin mecum venis acus emere?» (p.12) et «ei pergere ire» (ubi infinitivi sat libere adhibentur); «domum revertunt» (p.23); «domum revertamus» (p.26); «pertimuis^cimus» (p.28).

In fabulis eligendis, eas praesertim vertit auctor quae nulla verba recentiora continerent, cum linguam Latinam non tam aptam ad res modernas exprimendas aestimaret. Quam opinionem facere non possum quin respuam. Rarissime autem neologismi inveniuntur: «spumantia pocula lacte» (p.28; melius fortasse: «lac agitatum»), «arabicum» (p.28; pro cafea), «globuli congelati» (p. 18).

In fine dicam hunc libellum bene conscriptum et vere iucundum esse. Quibus autem hominibus suadeam ut emant, vix sciam. Pueris scilicet Latinitas difficilior est, adulescentibus adultisque argumenta sane nimis puerilia sunt. Nonne melius fuisset alium librum Latine vertere? ☺



¹ Annie M.G. Schmidt, *Jippus et Jannica*, vertit H.J. van Dam, imagines pinxit F. Westendorp, Amstelodami, ed. Querido, 2000.

COMMENTARIOS DE BELLO PVNICO SECVNDO

SCRIPSIT ALEXANDER FEYE

Auctor huius symbolae est quattuordecim annos natus. Discipulus est in Schola Nova, schola privata de qua aliis occasionibus iam rettulimus, in qua omnes discipuli linguam Latinam vivo modo discunt. Ecce videtis optimum effectum! Idem Alexander, sicut alii condiscipuli, etiam edidicit sescentos versus Vergilii et Homeri!

Postquam pacis condiciones pronuntiatae sunt primo a Romanis bello Punico facto, Hannibal natus est. Hic, cum esset novem annos natus, iurasse Romanos sibi inimicos permansuros esse dicitur. Post decem annos, Hamilcare patre mortuo, eum ulcisci voluit. Quoddam praetextum invenit ad Saguntum (quod est Ibericum in fide Romanorum oppidum) oppugnandum: a populis Sagunto proximis petiit ut ipsi urbem oppugnarent, ideoque auxilium Romanorum Saguntini peterent. Omnia sic facta sunt ut Hannibal cogitaverat, excepto quod Romani nullas copias ad Hispaniam miserunt, sed, contra, legatos Carthaginem qui disputarent. Illic, hi Carthaginensibus bellum pronuntiaverunt.

Hannibal igitur, anno ducesimo undevicesimo a.C.n., magnis cum copiis, Iberum flumen praecipuum limitem inter Romanos Carthaginensesque transiit. Cedendo Pyrenaeis traiectis, ad locum propinquum ripis Rhodani advenit. Fratrem autem Hasdrubalem ducem copiarum Carthaginensium ex optimis equitibus Mauritanis Numidisque praesertim compositarum in Hispania reliquit.

Interea Romae, Scipio et Sempronius consules erant. Primus in partem septentrionalem immissus est ut obviam Hannibali de Alpibus descendenti iret. Exitu montium exercitus Africanus compositus est e nonaginta milibus militum duodecimque milibus equitum. Scipio autem castra collocavit in quodam loco proximo Ticino. Qui locus male electus est. Quia in plano equites Numides potentiores erant. Paulo post signum pugnandi, Scipio cecidit et interfectus esset si quis cui nomen Scipio eum non servavisset, i.e. filius eius. Et dedit signum recedendi post tres horas ab initio pugnae.

Exercitus Romanorum erat adhuc maximus.

Celeriter iudicium factum est: oportet flumen Trebia defendatur. Sed socii non dubitant quin exercitum Romanum deserant. Scipio vulnerato, Sempronius missus antea qui Siciliam recuperavit, revocatus est ut obviam Hannibali iret. In hieme¹ anni 218, M. Sempronius fuit non longe a Trebia. Hannibal autem dolum paraverat.

Ibi parvulus rivulus erat in quo copiae Carthaginienses abditae sunt; superbus autem Sempronius, sententiam Scipionis non audiens, ad castra Hannibalis exercitum trans rivum perduxit, rursusque legio consularis occisa est propter dolum ducis Africani. Nihil impedire potest quin Hannibal cum exercitu suo Romam capiat. Favor populorum paeninsulae Italicae ei est dum ad Urbem cedit; quas legiones Romani arcessere possent? In hac condicione, victoria legionis consularis ex Hasdrubale laureola facta est.

Anno ineunte, sine cura deorum, novus consul Flaminius reliquum exercitum ad septentrionem duxit. Pugna inevitabilis non longe a lacu Trasimeno acta est, et Africani tantam stragem civerunt ut clades illa ceteris stragibus longius multo antistaret.

Romae eligendus dictator erat: ecce Quintus Fabius Maximus cui cognomen cunctator. Libertos² collegit atque Cannas iit, ibique semper pugnam vitavit exceptis paucis procurationibus, Hannibaleque irato, rursus eodem stratagemate usus est. Etiam si copiae potentiores Romanis sunt Carthaginienses, tamen animus et condiciones vitae pessime se habent. Super bellum annona premente, nihil speraverunt Carthaginienses aliud quam ut pugnarent adversus cunctatorem. Romae, stratagemata illius dictatoris adeo parum aestimata sunt, ut celeriter magistratu depelleretur, atque plebeius consul novus Terentius Varro ei sufficeretur, quod Fabius Maximus proditoris cum hoste suspectus esset.

Et ille consul novus Cannas iit ad pugnandum cum 87.200 militibus. Anno 216 a.C.n., ecce furtum Carthaginiense: 500 Numidi equites transfugium fingunt, celantes arma, ac postea subito se convertunt et multos Romanos occidunt. Quinquaginta milites feruntur Varronis fugam exsecuti esse. Quo factum est ut plures populi Italiae antea Romanis dediti Hannibali facti sint.


In senatu Romano, P.C. Scipio, filius Publii Cornelii Scipionis, surgit et dicit se numquam Latium relicturum esse. Deinde octo milia hominum e carcere Romano eripit, eos colligit et armis instruit.

Hannibal autem quietem militibus equisque concessit et hos Capuam conduxit, nolente praeposito, qui Romae muros obsidere vellet Hannibalique diceret: «Vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis». Milites Hannibalis omne hiemale

tempus se delectaverant in urbe Capua ut anno ineunte animi effeminati viresque debilitatae fierent. Cum exercitu omnino mutato, Tarentum et Crotonam subegit.

Secundus iam praeteriit annus sine ullo evento. Anno 212 a.C.n., Marcellus, nuper consul delectus, Syracusas classem ducit receptum Siciliam tum Carthaginiensem. Duo inventus fuerunt magno adiumento ad oppidum defendendum. Nam ingentia specula Archimedis constituta sunt ut solem repercuterent in naves Romanas et si haec propinquiores essent moeniis, maximis vectibus sublevarentur, inde recadentes in mare frangerentur. Tamen urbem ceperunt obsessores, faciliusque Capuam receperunt.

In Hispania multas post strages atque victorias, Hasdrubal in Galliam duxit exercitum ubi multi barbari socii facti sunt, deinde montes transiit et in Cisalpinam Galliam advenit. Hannibal ad septentrionem duxit exercitum ut iungeretur cum fratre. Ac Nero, apud Hannibalem situs, citatum agmen rapuit usque ad castra Hasdrubalis et, altero exercitu consulari iuncto, vicit. Deinde caput fratris eius Hannibali attulit. Hic omnino commotus Tarentum rediit. Parvus Scipio, victor in omni Hispania, in Numidiam occidentalem agmen convexit. Mox subegit omnem Africam, Carthagine excepta. Hannibal coactus est ad reditum in urbem suam. Pugna Zamae fuit anno 202, ubi victoria ingens a Romanis facta est. Graves condiciones impositae sunt Carthaginiensibus.



ADNOTATIONES

- ¹ Nondum enim instaurata erat quies certaminum.
- ² Nam numquam antea in historia Romana liberti collecti erant in exercitu.



Latine loqui ...

Seminaria Societatis Latinae

ab anno 1973 eximie instituta a D.re P.C. Eichenseer, qui participes scienter inducere solet, ut Latine loquantur. D.rix Sigrides Albert tirones delectabiliter solet docere et textus Latinos (plerumque humanisticos et posthumanisticos) palam proponere.

- Morsaci in Helvetia **23-29 m. Iul. 2000**, in loco saluberrimo supra lacum «Quattuor pagorum» sito. *Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken*

- in Belgica **5-12 Aug. 2000**; locus autem mutandus fuit propter inopinatum directoris Geldoniensis morbum; seminarium denique fiet in abbatia Maredsolana, in qua participes commodis condicionibus fruentur. De hac abbatia legatis p. 3.

Gaius Licoppe, avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles; guy.licoppe@pophost.eunet.be

Conventiculum Latinum

fiet in America, Lexingtoniae in civitate Kentukia, **14-29 Iul. 2000**. Ita est, bene legistis, duas hebdomades continuas! Hoc consilio moderator professor Terentius Tunberg participibus (sint ludimagistri, professores, studentes, alii) miram occasionem praebet sermonem Latinum exercendi.

Terentius Tunberg, clatot@pop.uky.edu

Seminarium Siciliense

institutum a Georgio Di Maria litterarum classicarum professore in studiorum universitate Panormitana fiet in monte Eryce **5-13 Sept. 2000**. Inter exercitia Latina, colloquia et textuum lectiones procul dubio occasiones non deerunt eximia invisendi antiquitatis monumenta! Moderatores erunt Gaius Licoppe, Francisca Deraedt, Wolfgangus Jenniges et Ericus Palmén.

Georgius Di Maria, Via Resuttana, 352 - I-90146 Palermo; gdimaria@unipa.it

Feriae Latinae

fient in Francogallia meridionali, Tarascone in Abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, media in pulcherrima et vere tranquilla regione, **31 Iul.-7 Aug. 2000**.

Iohannes Claudius Champeau, 121 chemin des Moulins sup. - F-06510 Gattières, tel. 0(033) 4 93 29 17 02, aut Clemens Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun - F-06210 Mandelieu, tel. 0(033) 4 93 49 01 91

Seminarium Opoliense

fiet in Polonia, in pulcherrimo castello prope Opole sito, **29 Iul.-5 Aug. 2000**, moderantibus associatione L.V.P.A. et fundatione c.n. Pallas Silesia, atque thema erit de Silesia Latina.

Marius Alexa, Burgstrasse, 3 - D-59368 Werne, tel. 0(049)2389 / 45334 aut Inga Pessarra, Nordstrasse, 39 - D-59174 Kamen, tel./telecop. 0(049)2307/15617

Seminarium Campanicum

institutum ab Academia c.n. Vivarium Novum, fiet in Campania, **27 Aug.-3 Sept. 2000**.

Aloisius Miraglia, Contrada San Vito, 5 - I-83048 Montella; vivarium@geos.it

Septimana Latina Amoeneburgensis

habet hoc attractivum programma: Latine loqui - Romane coquere, atque fiet Amoeneburgi **23-29 m. Iul. 2000**.

Thomas Gölhäuser, Westerwaldstrasse, 13a - D-35630 Ehringshausen, tel. 0(049)6449/921919

Domus Latina

Bruxellis in Domo Latina singulis Lunae diebus hora 18.30-19.30 fiunt exercitationes Latine loquendi. *Domus Latina, avenue Albert-Elisabeth, 64 - 1200 Bruxellis.*